

Quid sit requievit in tabernaculo meo

Virgil.

Rom. 8. 26.

Colof. 2. 9.

tabernaculo meo? Univerſæ ex Græco translationes habent; Requieſcere fecit; vel fixit, ſeu collocavit Tabernaculum meum: aut requieſcere me fecit in Tabernaculo meo: vel habitatio- nem mihi conſtituit: aut, fecit ut requieſceret Tabernaculum meum. In cujus rei confirmationem adducit Drufius illud Virgilianū in Pharmaceutria: & mutata ſuos requierunt ſumma ſtūctus: id eſt, quiete fecerunt. Et Plautus Milite: quieſcas cætera. Et quieſce iſtam rem, ego certe videro. Et quieſce tumultum hunc, qui eſt ante oſtium. Locus iſte habetur in Moſet. Sic etiam Paulus ad Ro. 8. 26. Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: id eſt, poſtulare nos facit gemitibus, & orationis dono. Paſſim ſic Eccleſiaſtici verba extulit: decrevit circa Tabernaculum meum: quod Hiſpanè dicimus: aſento en eſto. Non malè. Quem ſenſum etiam Vulgata verſio admittit: requievit in Tabernaculo meo. Quæ verba propriè, ut ſonant, poſſunt forſam meliùs exponi in hunc modum: Creator omnium, & qui creavit me, quique requievit in me quaſi in tabernaculo, præcepit, & dixit mihi &c. Habitat enim Pater in Filio per circuminſeſſionem divinam. Vel poſiùs divinitas ipſius Filii quæ Deus eſt, & perſona divina in humanitate ſibi unita, quaſi in diviniſſimo ſacraſſimoque habitat Tabernaculo. Utroque modo explicant Janſenius, Hugo, Dionyſius Carthufianus, Rabanus, & recentiores alii. Ut enim Paulus ad Col. 2. 9. In ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Id eſt, entitate, & veritate non in umbra, & figura. Licet hoc dictum ſit cum intuitu ad Moſis Tabernaculum, in quo Chriſtus, quæ Dei Sapientia eſt, & homo futurus erat, ſpeciali titulo, umbra, figura habitabat: donec in aſſumptæ humanitatis veritate in Eccleſia ſedem figeret, quæ Tabernaculi voce ſolet in ſacris litteris portendi.

Hæc, quæ de Chriſto diximus, primariò utique ſenſu literali, cadunt ſecundariò in ejus Matrem Virginem Deiparam, uti ex elucidatione textus clarebit.

TEXTUS ILLUSTRATUS

De Chriſto Domino.

SECTIO I.

Chriſti Domini vel à mundi exordio quodam modo præexiſtentis, Hereditas, portio, & poſſeſſio, extitit Hebræus Populus, quem ipſe ſingulari providentiâ proſecutus eſt: & quare.

Chriſtus qua ratione, ut homo eſt, à Mundi exordio præexiſtitit.

Prov. 8. 23.

Jud. v. 5.

1250 P Rincipio ſtatuendum cenſeo quod jam aliàs prænotavi n. 1080. & 1083. nempe Chriſtum Dominum non ſolum quæ Perſona divina eſt, ſed etiam, quæ homo, bono quodam ſenſu, cui Theologi, & Patres applaudant, vel ab ipſo mundi exordio præexiſtiſſe; ob Incarnationem ſcilicet ita prædeſinitam, prædeterminatam, atque præordinatam à Deo, ac ſi facta jam eſſet, & re ipſâ magnalia operaretur. Etenim in hoc ſenſu ſancti Eccleſiæ Proceres explicant illa Proverb. 8. 23. verba, Ab æterno ordinata ſum; de Sapientia Incarnata; ut eruditè ibi obſervat noſter Salazarus. Et hunc eundem ſenſum reddunt illa Judæ v. 5. Jeſus populum ſuum de ter-

ta Egypti ſalvans; uti effecimus ſuprà loco memorato. Et illud Pauli ad Hebræ. 13. 8. Jeſus Chriſtus heri, & hodie. Loquitur de Chriſto Deo ſimul & homine. Et juxta multorum mentem, heri, omne præteritum tempus & omne ſpatium æternitatis, quod ante mundi originem fuit, ſignificat. Audiendus hæc de re S. Hieron. in Ser. de Aſſump. Beatæ Mariæ Virginis ad Paulam, & Euſtochium. S. Hieron. Conſtat tempus non præjudicaſſe Sacramento uniti hominis, ac Dei; ita ut jam eſſet in illo per unitatem perſonæ ab initio ſæculi, qui nondum erat natus de Maria Virgine. Quod multis ſcripturarum declaratur indicia. Unde Dominus ad Judæos: Antequam Abraham ſerret, inquit, ego ſum. Quibus utique verbis oſtendit ſe, qui loquebatur, in eo ſemper fuiſſe myſterio unitatis. Quod Apoſtolus Judas volens apertius dilucidare; Jeſus, inquit, populum ex Egypto ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit. Et alibi Paulus: Neque tenemus Chriſtū ſicut quidam eorum tentaverunt. Non quòd jam eſſet Jeſus, aut Chriſtus natus ex Maria, ſed quia in illo unico filio Dei jam unitas perſona commendabatur, quæ occulta erat myſterio. Lege ibi alia ad rem. Et Jodocum Clitoveum in Scholiis ad Damascenum lib. 4. Orthodoxæ Fidei cap. 6. ubi hoc illuſtrat argumentum, ſcitè, ut aſſolet.

1251 Aliter præexiſtiſſe Chriſtum Dominum, vel à mundi primordiis, dixerim. Primò, quia multæ ejus figuræ præceſſerunt, quas paſſim offendas inveteris teſtamenti ſcripturis. Eapropter Apoc. 13. 8. dicitur Agnus occiſus ab origine mundi: in multis nempe figuris. Ut enim Paulinus in Epift. 27. Ab initio ſæculorum Chriſtus in omnibus ſuis patitur: in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Joſeph venditus, in Abraham peregrinatus. Secundò quia multorum eſt exiſtimatio, ſecundam Triados Perſonam, in ſicta tunc humanitate, veteribus Patriarchis, & Prophetis ſæpè olim apparuiſſe, quaſi præludentem ad veritatem carnis per unionem hypotaticam. Ediſcebat (ait Terull. contra Praxeam c. 16.) ediſcebat, ut nobis fidè ſterneret, ut faciliùs crederemus Filium Dei deſcendiſſe in ſæculum, ſi & retrò tale quid geſum agnoſceremus. Qua de re fuſè & eruditè noſter Antonius Ferdinand. in viſiones veteris teſtamenti, viſione 6. Commentario 2. Sect. 1. Tena in cap. 1. Epiftolæ ad Hebræos, difficultate 1. & 2. Tertio, quia veteribus Prophetis, quaſi ipſorum Præſidem, ſive Archi-prophetam, divinum Patris Verbum, perinde ſi hominem jam induiſſet, fuiſſe locutum, multi jure merito exiſtimant. Unde illud apud Iſaiam capite 52. verſ. 6. Sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum. Vide ad hæc verba S. Cyrilum, Caſtrum & alios commentatores: nec non Soterum Papam in Epift. 1. Decretali, Eufebium 6. Demonſtrat. capit. 24. & noſtrum Pinedam libro 3. de Salomone capit. 8. §. 4.

1252 Quartò, quia quem præſertim videbant Prophetæ, & a quo videntes appellabantur, erat Chriſtus Dominus ſub humana forma virili objectus, quamvis inſigni majeſtate, & pulchritudinè interdum, interdum abjectè & humili, hominis nempe in ſtabulo naſcentis, circumciſi, plagati, vulneribus conſoſi. Sic Beda l. 3. c. 43. in c. 10. Lucæ, ubi Prophetas videntes ſive intelligentes nuncupatos ſcribit, à Chriſto videndo, ſive intelligendo: quaſi nihil

In multis ejus figuris Chriſtus præexiſtebat. Apoc. 13. 8.

S. Pauli.

Qui in veteri lege apparebat, Chriſtus erat. Tertull.

Et ille qui Prophetis loquebatur.

Iſai. 52. 6.

nihil prophetico oculis dignum, præter Chriſtum; quaſi ad Chriſtum unum videndum propheticum lumen inditum; quaſi in illum unum perinde atque in ſcopum, Vates omnes vaticinam mentis aciem intenderent. Hinc ille qualis qualis, Propheeta tamen, Nu. 24. 15. Irruente in ſe ſpiritu Dei, aſſumpta parabola ſua, ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cui obturatus eſt oculus: dixit auditor ſermonis Dei, qui novit doctrinam Altiffimi, & viſiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Grandis viſionis apparatus, quo nullum ſublimiorem legiſſe auumat Adamantius. Dixit homo, cui obturatus eſt oculus. Lxx. Vaticani: Dixit homo verè videns. Chaldaïs: ſpecioſè, gratè, jucundè prævidens. Regia, & Cöplutentiſ: Verax videns. Id eſt, pulcherrimum, verumque objectū ſpecioſiſſimis ſpectans oculis, eximia animi jucunditate, ac ſuavitate. Quod ſtatim commendat: Videbo illum, ſed non modo; intuebor illum, ſed non propè. Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael. De Chriſto vaticinium eſt quod Vates innuit non in ſe ipſo, ſed longè poſt, in ejus nepotibus Magis Regibus implendum eſſe, ut multi Eccleſiæ Doctores interpretantur. A Chriſto igitur emiſus viſo verè, ſpecioſè, atque jucundè videns dictus Balaam. Et meritò; nam Abraham multò antè videns Chriſti diè, exultavit, Joan. 8. 56. nec tamen cominus videre licuit, ſed à longè inſpicientes, & ſalutantes, ut ait Paulus ad Hebræ. 11. 13. Vel juxta Syriacam, à longè videntes, & gaudentes: in unum ſcilicet Chriſtum intendebat Prophetarum acies.

Et quia in ſanctis veteribus operabatur, quaſi jam homo factus, & paſſus.

Apoc. 13. 8.

S. Auguſt.

Fideles Chriſto anteciores, ab illo Chriſtiani dicendi.

S. Auguſt.

1253 Quintò, quia vel ab origine mundi Chriſtus ipſe in antiquis ſanctis operabatur, quaſi præteſſiſſimus jam eſſet per Incarnationem, & Crucis mortem ſubiſſet. Eſt enim catholica veritas ſine ulla controverſia ab omnibus probata, Chriſtum meruiſſe antiquis Patribus, ſicut & nobis, omnia dona gratiæ, ut nihil gratiæ priſcis hominibus, qui ante Chriſtum vixerunt, donatum fuerit, quod non fuerit collatum intuitu meritorum Chriſti. Atque hoc de cauſa dicitur Chriſtus Apoc. 13. 8. Agnus occiſus ab origine mundi. Et Siracides noſter Davidem commendans c. 47. 13. ajebat: Dominus purgavit peccatum ejus. Pro Dominus, Rabanus, Janſenius, & alii legunt Chriſtus: atque ita exponunt, Chriſtus & quæ Deus, & quæ homo, peccata Davidis purgavit, dimiſit, abolivit, condonavit. Hinc illud Auguſtini lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione c. 11. Regnum mortis ſola in quolibet homine gratia deſtruit Salvatoris, quæ operata eſt in antiquis ſanctis: quicumque antequam in carne Chriſtus veniret, ad ejus tamen adjuvantem gratiam, non ad legis liberam, quæ jubere tantum, non adjuvare poterat, pertinebat. Quæ eſt etiam aliorum Patrum doctrina. Videſis noſtrum Vazquez Tom. 1. in 3. p. diſput. 77. cap. 6.

1254 His adjuget, & ſubinde inter, fideles omnes etiam qui ante Chriſtum vixere, Chriſtiani accenſendos, & eorum fidem ac religionem Chriſtianam nominandam; quia typis & umbris id ipſum credebant, quod nos diſtinctè & explicitè: & in Chriſtum auctorem & conſummatores fidei aliqua ratione collimarunt credendo. Audi S. Auguſtinum in Ser. 109. de diverſis. Nec quiſquam arbitretur, antequam eſſet Chriſtiani, nullum fuiſſe populum Deo. Imò verò, ut ſic loquar, quemadmodum ſe

veritas habet, non nominum conſuetudo, Chriſtiani etiam ille tunc populus fuit. Et mox loquens de martyribus veteris teſtamenti, ſubrexit: Chriſtiani fuerunt: ſed nomen Chriſtianorum poſtea divulgatū eſt, factis antecederunt. Non conſitebantur illi aperte Chriſtū, quia adhuc velabatur Chriſti myſterium. Teſtamentum enim vetus, velatio eſt novi; & teſtamentum novum, revelatio eſt veteris teſtamenti. Lege eundem Doctore l. 3. contra Epistoſas Pelagianorū c. 4. & hinc revoca illud Can. 1. 2. Oleum eſſuſum nomen tuum. &c. qua ratione explicuimus ſuprà.

1255 Ex hæcenus dictis claret, quo jure aſſeramus, Chriſto vel à mundi exordio (modo jam explicato) præexiſtenti aſſignatum Hebræorum populum tanquam propriam ſedem, hæreditatem, & poſſeſſionem: quam ad divinum cultum erudiret faciendū leges, ritus, ceremonias myſteriorum futurorum prænuſtias; illum inſtruendo per Pontifices, Scribas, & Phariſæos; dando eis oracula & reſponſa; nec non Propheſias, qui ventura prædicerent, & Chriſti adventum ex eo populo naſciturū; ac denique eos proſequendo tot miraculis, & beneficiis, tantaque, & tam ſingulari providentiâ. Verè Chriſtiani etiam tunc ille populus fuit, ut ajebat ſuprà Auguſtinus. Verè Chriſto ipſi populus peculiaris, acceptabilis, egregius, præcipuus, opulentus. Deut. 7. 6. Verè in illius populi electis radices miſit, fidei, ſpei, amoris, & devotionis. Unde colligere eſt (ait Palacios) nullum electum fuiſſe inter Judæos, qui non haberet affectionem, & amorem erga Filium Dei: nihil minor implicite, an explicitè.

Chriſto Hebræorum populum tanquam propriam ſedem, hæreditatem, & poſſeſſionem aſſignatum.

Palacios.

1256 Petes, quare Deus elegit ſibi Iſraeliticum populum in hæreditatem, in poſſeſſionem, in theſaurum pretioſiſſimum? Quorſum illum tam peculiari ſtudio, & ſingulari amore, ut rem unicam, & ſingulariter dilectam eſſe proſecutus? Certè non alia de cauſa, niſi quia inde erat Chriſtus Deus generoſus ſecundum carnem progeniturū naſciturus, juxta promiſſiones Abrahæ factas, & ſolemni jurejurando à Deo confirmatas. Meruit autem Abrahamus, ut Pater eſſet excellenſiſſimus multarum Gentium, Hebræorum Parens, & auctor, in quem copioſiſſimè dona gratiæ ſuæ proſunderet omnium rerum Pater: meruit ut Abrahamitica Gens in populum Dei ſpeciale, inter cæteras mundi nationes, eligeretur ad humanam Chriſti naſcitam; meruit quidem hæc, tum illuſtri illà profectione ex Dei juſſu facta in Chananitidem, de qua Gen. 12. & Act. 7. 2. tum etiam inſigni illo & egregio propoſito, quo voluit, ſuadente Deo, Filium ſuum unigenitum Iſaacum immolare; de quo Gen. 22. Atqui propter hujus obedientiæ clariffimum facinus, antiquas promiſſiones ei factas, ſic Deus jurejurando confirmat v. 16. Per memet ipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hæc rē, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas, & velut arenam, quæ eſt in ſtore maris. Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Duo promittuntur: & poſteritas numeroſa, verè Dei religione præluſtris; qualis gens Abrahamitica, Hebræa, Jacobea, ſive Iſraelitica extitit: Et Chriſtus ex eo populo oriendus, qui ſemen Abrahæ hic appellatur, in quo & per quod benedictionem, gratiam & redemptionem accipiunt Gentes univerſæ, ut Paulus ſcribit

Illum populum ſibi Deus elegit, quia ex eo Chriſtus naſciturus.

Gen. 22. 16.